


**Commentationis De Vsv Aqvae In Evcharistia**

**Sectio Prima : Nonis Aprilis, A. R. S. MDCCLX**

Rostochii: Typis Ioannis Iacobi Adleri, [1760?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn869866761>

Band (Druck) Freier  Zugang







102

a. B.

48. C. 4.

427.

Fa - 1092 (102.)







- 27.) Mayer, noua atque abominanda pietiffiarum trinitas.
- 28.) Walter, de nouo Atheismi et Vanatiosismi.
- 29.) Manz et, de Hattemittis.
- 30.) Mitter, de notione Ташуоросъ sine Ташуоросъ.
- 31.) Gefner, de oratore sacro.
- 32.) a Windheim, de erroribus vulgi in libris sacris non probatis.
- 33.) Hecker, de optimo genere Philosophorum.
- 34.) Hecker, de eloquentiae genere.
- 35.) Burgmann, de articulo de peccato.
- 36.) Burgmann, de nomine Christiani huiusque origine et notione.
- 37.) Engel, de existentiae conceptu.
- 38.) Burgmann, num sacrificia cruenta ante diluuium fuerint ignota?
- 39.) Ctepinski, de iustificatione peccatoris coram Deo.
- 40.) Burgmann, de statu hominis lapsi.
- 41.) Sasse, de Christo et sacerdote et victima in omnium salutem.
- 42.) Burgmann, de eo quod in indagando sensu mystico minimum est.
- 43.) Carpow, de ieiuniis sabbathicis ex antiquitate Hebraea.
- 44.) Becker, de monitis quibusdam ad nonnulla reuelationis recentius formata criteria.
- 45.) Zachariae, de Christo  $\pi\epsilon\sigma\sigma\omicron\tau\omicron\kappa\omega$  εν τω νεκρω.




2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8. O  
10.  
11. st  
12.  
13.  
14.  
17.  
18. 40  
+2  
19.

COMMENTATIONIS  
DE  
VSV AQVAE IN EVCHARISTIA,  
SECTIO PRIMA.

---

QVAM,  
P R A E S I D E  
ANGELIO IO. DAN. AEPINO,  
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,  
NONIS APRILIS, A. R. S. CIDIÖCCLX.  
PVBLICA DISPVATIONE  
DEFENDET,  
CHRISTIANVS LVDOVICVS MENCKEL,  
SVERINO-MECKLEVRG.  
S. S. THEOL. ET PHIL. CVLTOR.



---

ROSTOCHII,  
TYPIS IOANNIS IACOBI ADLERI, SEREN, DVCIS AVL, ET ACAD.  
TYPOGRAPHI,

*Dupl*




COMMENTATIONIS  
DE  
VSY AQVAE IN EVCHARISTIA  
SECTIO PRIMA.

AVAM,  
P R A E S I D E  
ANGELIO IO. DAN. AEPINO,  
IN ACADEMIA ROSTOCHINSI,  
NOMIS AERILIS, A. R. S. CIRCULIX  
PUBLICA DISPUTATIONE  
DEBENDIT,  
CHRISTIANVS LVDOVICVS MENCKEL,  
SERVINO-MECKLEBVRG.  
S. S. THEOL. ET PHIL. CANTOR.



ROSTOCHII,  
TYPIS IOHANNIS IACOBI ABERLI, SEREN. DACIS VAL. ET ACAD.  
TYTOGRAPHI.





COMMENTATIO  
DE  
VSV AQVAE IN EVCHARISTIA.

---

INTRODVCTIO,

§. I.



Ex quo gloriosissimus generis humani redemptor, summo erga mortales ecclesiaeque divino sanguine suo reparatae membra amore, ductus, sanctissimum S. coenae epulum instituit, quae humanae mentis temeritas est, vel dementia potius, de sacramenti huius ratione indoleque varias statim effinxit opiniones variasque genuit sententias, quibus vel finem salvatoris, quidque institutione ista ecclesiae suae commodi contulerit lucrique, rimari, vel qualis eius natura sit indolesque, declarare, vel quibus, populi praesertim iudaici, moribus originem debeat, exponere, vel quibusnam ritibus institutisque sacra haec celebrare deceat, docere

A





cere ausa fuit, vel denique abusibus variis & foedis quoque 1) ansam præbuit infelicem. Neque vero facile invenietur rerum ab omni tempore in ecclesia gestarum adeo ignarus, qui ingentes, quæ ex isthac opinionum divortio ortæ fuerunt, controversias turbasque, ipsasque adeo sententiarum circa hanc rem diversitates, plane nesciat, quarum prolixiorum historiam necere nostri nunc quidem non est instituti.

§. II.

Placuit sanctissimo redemptori divinum hoc sacramentum instituenti, duobus symbolis uti externis, vel elementis sensui patentibus, quibus mediantibus ipsum corpus suum sanguinemque accipientibus tradi exhiberique sapientissime voluit, pane nimirum vinoque, id quod testimonia MATTH. XXVI. 26-29. MARCI XIII. 22-25. LUCÆ XXII. 18. 19. 20. luculenter adeo probant, ut dubio locus relinquatur nullus. At vero, quæ satis sic ab ipsis sacramenti cœnæ primordiis patuit, quæque mandati vim omnem potestatemque sibi habet coniunctam, Salvatoris de rerum terrestrium in eucharistia usu voluntas, a mortalium tamen temerariis prorsus fallaciis frivolisque immutationibus tuta haud perstitit, verum eam homines sibi indulserunt licentiam, ut vel substituere ipsis alia, vel addere peregrina adscititiaque non erubuerint, 2)

§. III.

1) Vid. CHRIST. LVDOV. SCHLICHTERI *Comment. de abusibus quibusdam Eucharisticis*, Hale 1734.

2) Quædam de mutationibus istis legi possunt in BVDDEI *Exercit. de symbolis eucharisticis*, in *Parerg. Histor. Theol.* p. 3. seq.





## §. III.

Et panem quidem eucharisticum variis adulterationibus, foedis immo depravationibus, obnoxium fuisse, docet turpissima illa & execranda, primo statim post natum salvatorem sæculo orta, quorundam, quos Gnosticis EPIPHANIVS accenset, praxis, quamque idem EPIPHANIVS, non ineptus huius rei testis, 3) descripsit, 4) cuius tanta spurcicies, ut ab eius enarratione ulterio-ri merito abhorreamus. Idem docet MONTANISTARVM, QVINTILIANORVM, PRISCILLIANISTARVM, CATAPHRYGV M, PEPVZIANORVMQVE mos, qui panem eucharisticum ex farina, sanguine infantis immani crudelitate trucidati, mixta confecerunt; 5) porro caseum pani eucharistico addendi institutum, ex quo AR-

A 2

TOTY

- 3) Vid. EPIPHANIVS *adv. hæreses Lib. I. Tomo II. hæresi XXVI. §. 18.* NATALIS ALEXANDER H. E. *Sæc. II. Synops. Cap. III. Art. III. Opp. Tomo III. p. 284.* ITTIGIVS *de Hæresarchis ævi apostolici, Sect. II. C. IX. §. 18.* Sunt tamen quibus Epiphani præsertim de Gnosticis testimonia fide digna haud videntur. Vid. CHRIST. KORTHOLTVS *de calumniis in veteres Christianos, §. 34.*
- 4) *l. c. §. 4. add. PETAVII animadv. ad eundem.* Eundem morem MANICHÆIS, qui CATHARISTÆ propterea dicti, tribuit AVGVSTINVS *ad Quod vult deum, hæres. 46.* cui iungatur ALPHONS. a CASTRO *adversus hæreses, Lib. VI. tit. Eucharistia, fol. m. 105.* Legatur tamen hic b. AMOSHEIM *Comment. de rebus Christianorum ante Constantinum M. p. 894.*
- 5) Vid. AVGVSTINVS *l. c. hæresi 26. 27.* EPIPHANIVS *l. c. hæres. XLVIII. §. 14.* PHILASTRVS *edit. Fabricianæ p. 104.* & legatur hic præsertim MATTH. LARROGVE *P. histoire de l'Eucharistie, P. I. Ch. II. p. m. 16. seq. nec non Ven. WALCHIVS Hist. Eccles. N. T. p. 884.*





TOTYRITAE nomen acceperunt; 6) nec non quod in Livonia aliquando usu venisse fertur, raphani in orbiculos scissi, pro pane eucharistico usus, vel terræ in panis locum substitutio: 7) neque diutius cunctis his nunc immoramur. 8) Non tamen silentio præterire possumus, ipsam panis eucharistici materiam insignem olim non diffusionem solum, sed separationem quoque Ecclesiæ peperisse. GRAECIS *enzymi seu fermentati panis* necessitatem tanta animi concitatione urgentibus, ut LATINI azymitarum propterea a GRAECIS, hique ab istis *fermentariorum vel fermentaceorum* nomine appellati, non sine contumeliæ nota, fuerint. 9) Et, quæ in eccle-

- 6) Vid. EPIPHANIVS *hæres. XLIX. §. II. AVGVSTINVS hæres. 28.* Eundem ritum & Pepuzianis tribui constat.
- 7) Referimus hæc auctoritate Theologi olim nostratis, b. AFELMANNI *in Syntagm. Exercit. Acad. P. II. p. 901.*
- 8) Prouti omnis hæresium antiquiorum, historia accuratiori pleniorique explicatione digna, ita præsertim, quorum mentionem iniecit, errores cum auctoribus suis sectatoribusque diligentius excuti merentur, quam quidem adhuc a solertissimis quoque scriptoribus factum. Vid. b. a MOSHEIM *Instit. Histor. Eccles. p. 61. n. z.* Plurima enim in istorum historia caliginosa, impedita, mancaque deprehendet, qui vel levem ad eandem attentionem adtulerit.
- 9) Vid. ALPH. a CASTRO *c. I. fol. m. 105.* CHRISTOPH. ANGELI *Enchiridion de statu hodiernorum graecorum, edit. GEORG. FEHLAVIO, Cap. XXIII. p. 364.* THOM. SMITH *Epistola de Græcæ ecclesiæ statu hodierno. p. 103.* JAC. ELSNER, *neueste Beschreibung der griechischen Christen in der Tûrckey, p. 222.* Eundem quoque morem tenere Moscoviticam ecclesiam, notum est & videri potest in FEHLAVII *notis ad CHRIST. ANGE-*





clesia de *hostiarum figura rotunda, oblonga, quadrata, item quantitate & forma*, lites exortæ sint, quum alii iam de iis præceperint, vel prætereundo a nobis notari sufficiat. 10)

§. IIII.

Haud securius a mutatione corruptioneque humana fuit alterum, quod salvator usui huic destinavit, elementum terrestre, quod *γεννημα τῆς ἀμπελῆς* fuisse, satis constat. Atque primo hic nominandi sunt loco, qui quodvis consueti potus genus vini loco in eucharistia adhiberi posse, neque ita a Christi mente aberrari, statuunt, quæ opinio JO. CALVINO, THEODORO BEZAE II) aliisque ex reformationum cœtu theologis, & ex nostræ ecclesiæ

A 3

mem-

ANGELVM l. c. p. 464. & JO. ERN. GERHARDI *Dissert. de religione Moscovitarum Cap. XVII.* præcipue vero ex ipsius *orthodoxæ confessionis fidei ecclesiæ Græcæ orientalis Russiæcæ verbis*, in NICOL. BERGII *Exercit. de statu ecclesiæ & religionis Moscoviticæ*, p. 246. Licet vero olim controversia hæc, de pane eucharistico vel azymo vel fermentato, maximo agitata fuerit fervore, recentiori tamen ævo tum Pontificiorum tum Protestantium Theologi indifferentem utriusque usum pronunciare haud dubitarunt. *Vid. BINGHAMI Orig. Eccles. Vol. VI. p. 266. sqq. BVDDEVS Parevrg. Hist. Philos. Præf. p. 13.* Et Doctores Sorbonici PETRO I. Russorum Monarchæ, conciliationem Ecclesiæ Ruthenicæ cum Pontificia suadentes, fermentati panis usum eucharisticum Moscoviticæ ecclesiæ liberum relinquentum esse censuerunt. *Vid. Das veränderte Rusland. P. I. p. 436.*

10) Legantur BINGHAMVS l. c. p. 270. LARROGVE l. c. P. I. Ch 3. p. 46. & sqq. SCHMIDII & b. ENGELCKENII libelli, de *placensis orbicularibus, singulares.* BVDDEVS l. c. p. 26, 27. & alii.

11) *Vid. BEZAE Epistola II. ad TILIVM, item Epistola XXV.*





membris, b. a LVDEWIG 12) nec non haud ita pridem  
Celeb. AHLWARDTIO, *Philosopho Gryphico* 13) arrisit.  
Dein eorum notandi veniunt mores, qui neglecto, invita  
licet scriptura sacra, vino, alium humorem intrudere ne-  
quidquam dubitavere. Referendus hic est turpissimus  
sanguinis foemini & nauseosus abusus, quem GNOSTI-  
CIS, siquidem EPIPHANIO fides habenda, solennem  
fuisse, memoratur. 14) Porro adhibita aliquando vini  
loco fuisse lac, mel, mulsum, mustum 15) botrum, sice-  
ram, idque in *Hispania* praesertim contigisse, testatur  
Concilii BRACARENSIS tertii Canon I. morem istum  
severe improbens. 16) Et ABESSINOS, nec non inter  
MALABARES *Christianos*, THOMANOS, succo ex uva-  
rum passarum acinis adfusa aqua expresso, uti, docente  
JOBO LVDOLFO aliisque, memorat SCHLICHTER-  
VS. 17) MOSCOVITAS vino eucharistico substituere  
succum ex pomis expressum, (*Quast*) vel *medonem*, anti-  
quo-

12) *Erläuterung der Goldenen Bulle*, P. I. p. 304. edit. de a. 1752.

13) *Betrachtungen über die Augsp. Conf.* 3ter Band. p. 329. in nota;  
quam suam sententiam celeb. AHLWARDTIUS iisdem super-  
struit rationibus, quibus usus jam olim fuit SIMON GOVLAR-  
TIUS in *Animadvers. ad CYPRIANI Epistolam LXIII. Operum*  
edit. Paris. 1593. p. 178.

14) *hæres.* XXVI. §. 4.

15) de quo LEO ALLATIVS pro *Græcorum communionem sub specie*  
*una*, §. 8. Vid. Συμμιχτα a B. NIHSIO edita, p. 210.

16) C. cum omne 7. de *Consecr. Dist. 2.* CARANZAE *Summa Con-*  
*ciliorum*, p. m. 460. Legatur quoque JO. RVDOLPH. KIES-  
LINGII *Comment. de sicerâ in usu S. cœnæ non admittenda.*  
*Lips.* 1745.

17) *De abusibus evcharisticis* p. 30. *Add.* LARROGVE l. c. p. m. 36





quiores historiae *Moscoviticae* scriptores perhibuerunt, 18) licet, num id ipsius Ecclesiae *Ruthenicae* consensu factum sit, dubio omnino non careat. 19) Sufficiat vero haec de variis vini eucharistici mutationibus adtulisse, dummodo paucis meminerimus, *rubro* praecipue in sacra coena vino *orientalem* ecclesiam uti, quum *occidentalis* contra *album* frequentius adhibeat, ita tamen, ut liberam cuique coetui alterutrius electionem permittat. 20)

## §. V.

Atque istiusmodi mutationibus accensemus *aqua in eucharistia* usum, quem ab antiquissimo iam aëvo in ecclesia fuisse receptum, constat, cuiusque historiam hic repetere pleniorique complecti tractatione, animus est. Potissimum autem exsequi istud consilium suscepimus, postquam inter modernos Theologos inveniri deprehendimus, qui, num vinum eucharisticum aqua miscendum sit, in utramque, quod dicunt, partem disputari sine periculo posse, affirmant, quare, quibus mos iste temporibus quibusque institutis natales debeat, quibus etiam nitatur rationibus, accuratius nosse non incongruum erit, neque sua eiusmodi disquisitio destituetur utilitate. Quum vero

- 18) Quos allegant FEHLAVIUS l. c. p. 465. JO. ERN. GERHARDVS l. c. Cap. XVII. 5.
- 19) Confessio namque fidei ecclesiae Moscoviticae, ex qua NICOL. BERGIUS ejus statum & religionem descripsit, ita praecipit: *vinum adhibeatur haud alio humore confusum, in se purum & sincerum*, unde recte BERGIUS infert, alius humoris substitutionem invita fieri confessione. Vid. l. c. p. 246.
- 20) Primitivae ecclesiae christianos rubrum adhibuisse vinum, argumentis haud vanis probat JO. FAES in mantissa ad JO. DOVGTHEI *Libr. de calicibus eucharisticis*, p. 9.





vero duplici potissimum ratione aquam in eucharistia adhibitam fuisse, historia loquatur, dum vel neglecto plane vino, sola ipsa fuit admixta, vel utriusque commixtio ad sacramenti celebrationem necessaria reputata; nos quoque duabus hunc libellum sectionibus absolvemus.

S E C T I O I.

DE

AQVAE, NEGLECTO PRORSVS  
VINO, IN EVCHARISTIA VSV.

§. VI.

**E**os inter, qui posthabito plane sanctissimi salvatoris mandato exemploque, & vino penitus excluso, solum aquam in eucharistia adhibuere, primi nominantur EBIONITAE, saeculo post natum Christum vel primo statim, vel secundi rectius principio 21) iam noti, quibus disertis istum morem verbis EPIPHANIVS tribuit, 22) Verum enim vero, quum parum vel nihil auctoritatis isthoc EPIPHANII testimonium mereatur, 23) aliique haeresiographi antiquiores de EBIONITARVM erroribus disputantes, 24) praesentis vel non meminerint, vel solius  
EPI-

21) *Vid. b. a MOSHEIM Inst. H. E. p. 67. § Comment. de rebus Christianorum ante Constantinum M. p. 172. n. \*\*.*

22) *Adv. haeref. L. I. Tom. II. haeref. XXX. §. 16.*

23) *Vid. b. a MOSHEIM Inst. H. E. p. 97. not. n.*

24) *JRENAEVS adv. haeref. L. I. C. 26. PHILASTRIVS de haeref. C. 37. edit. Fabric. p. 81. AVGVSTINVS l. c. b. IO. Auctor Praedestinati, Cap. X. in Biblioth. Patrum max. Tom. XXVII. p. 546.*





EPIPHANII fide nitantur, non sine difficili negotio totam rem definire licebit. Neque multum auctoritatis vindicari poterit, quem nonnulli huc trahere solent, IRENAEI loco, 25) quum nexum verborum attentius inspicienti, pateat equidem, contra EBIONITAS disputationem ibidem institui, verum non ita liquido constet, de vini eucharistici commixtione locum allegatum tractare.

## §. VII.

Solent his iungi, qui ipsi EBIONITARVM errores amplexi fuere, ELCESAITAE, qui & HELCESAITAE nec non SAMPsAEI audiunt, quorum historiam, post JO. CONR. SCHWARZIVM 26) singulari libello exposuit b. SEIDELIVS. 27) Inter saeculi secundi haereticos numeravit eosdem b. A. MOSHEIM, 28) etsi alii tertio demum eos innotuisse doceant. 29) Non autem aperitis verbis antiquiorum quisquam ELCESAITARVM men-

25) *Adversus haeres. Lib. V. Cap. I.* „Reprobant itaque hi (Ebionaei) „commixtionem vini caelestis, & sola aqua saecularis (solam aquam „saecularem) volunt esse, non recipientes Deum ad commixtionem „suam.“ Vid. *Biblioth. Patrum max. Tomo II. P. II. p. 342.*

26) *Comment. de Elcesaitis & ipsorum erroribus, in editis ab ipso Monumentis ingen. Tom. III. p. 200.*

27) *Abhandlung von der Secte der Elcesaiten, Helmst. 1749.*

28) *Inst. H. E. p. 97.*

29) ITTIGIVS *de Haesiarchis Sect. II. Cap. XVII. §. 3.* Legatur hic b. SEIDELIVS *l. c. §. 3.* de sectae istius initio & undenam diversa de ipsa iudicia ortum traxerint, data opera disputans, & ad Saec. II, eandem referens.





mentionem faciens, 30) in eucharistia vinum cum aqua commutasse ipsos, affirmat, verum omnes EPIPHANII potissimum fide nixi, EBIONITARVM mores eosdem sequutos generaliter tantum tradunt, unde coniectura, modo non omnino fallax, nascitur, ELCESAITAS a vini usu cum EBIONITIS in evcharistia quoque se abstinuisse & aqua potius usos fuisse.

## §. VIII.

Missis nunc aliis, quæ prioribus a Christo nato sæculis, doctrina sua institutisque ecclesiam turbarunt, sectis, quas haud sine veri specie eiusdem erroris argui posse iudicamus, ad istas iam accedimus, quarum notitiam certiora nos & apertius loquentia docent monumenta. TATIANI, & qui ab ipso nomen sortiti fuerunt, TATIANORVM, notior est historia, quam ut prolixius a nobis nunc quidem exponi mereatur 31). Quanquam vero, disciplinam ipsorum nondum luculenta satis disquisitione explicatam esse, b. a MOSHEIM moneat 32), id tamen dubio omni caret, a vino eosdem prorsus abhorruisse, & ad mysteria sua solam aquam adhibuisse, quo temperantiæ studio ENCRATITARVM, ABSTINENTIVM

30) EPIPHANIVS *haeres. XIX. §. 1. haeres XXX. §. 3. & haeres. LIII. AVGVSTINVS l. c. har. 32. THEODORETVS haeret. fabul. L. II. Cap. VII. Et CENTVRIAR. MAGDEB. AVCTORES, Cent. III. Cap. V. Elcesaitarum dogmata erroneaque studiose enarrantes, istius tamen erroris mentionem nullam faciunt.*

31) *Vid. Ven. WALCHIVS H. E. N. T. p. 864. ITTIGIVS l. c. Sect. II. Cap. XII.*

32) *Instit. H. E. Sacul. II. P. II. Cap. V. §. 9. not. t.*





TIVM & CONTINENTIVM nomina meruere 33). E-  
quidem EPIPHANIVS a TATIANIS, ENCRATITAS  
sejungendos esse voluit, hosque novos errores illis inco-  
gnitos effinxisse, tradidit; 34) destitui vero istam opi-  
nionem veterum testimoniis, neque probabili quodam  
fundamento niti, alii evincere studuerunt 35). His  
statim iungimus MARCIONITAS, a MARCIONE  
PONTICO, famoso sæculi secundi hæretico dictos, quos  
in mysteriis suis aqua usos esse, EPIPHANIVS diserte  
testatur 36).

## §. IX.

Inter TATIANI adseclas vel sequaces numerari so-  
lent ACCAOPHORI sive SACCOPHORI, atque eosdem  
vini loco Deo aquam obtulisse, TIMOTHEVS PRESBY-  
TER diserte adfirmat 37). Verum quum recentior sit  
huius scriptoris ætas, (qui ad Seculum VII. non sine ra-  
B 2 tione

- 33) *Vid. Ven. WALCHIVS l. c. p. 865. 867. ibique laudati scri-  
ptores, quibus addendus S. HIERONYMVVS de viris illustribus,  
Cap. 29. in Biblioth. Ecclesiastica Fabriciana p. 97. & nota o.  
Legatur quoque LARROGVE l. c. p. 31. & BYDDEVS parerg.  
Hist-philos. p. 14.*
- 34) *hæres. XLVII. §. 1.*
- 35) *Ven. WALCHIVS l. c. p. 867. n. \**
- 36) *Adv. Hæres. hæres. XLII. §. 3. Quod MARCIONITAE  
omnem vini usum damnaverint, docet b. a MOSHEIM Inst. H. E.  
Sec. II. P. II. Cap. V. §. 7. et prolixius de hac secta agit idem  
beatus Vir, in Comment. de rebus Christianor. ante Constantinum  
M. p. 401. seq.*
- 37) *Vid. ITTIGIVS l. c. Sect. II. Cap. XII. §. 13. WAL-  
CHIVS l. c. p. 868. n. \*\**





tionem refertur; (vid. CAVE *Hist. Litt. Script. Eccles. ad ann. 1000.*) quam ut testimonio ipsius tuto satis fides habeatur, & antiquiorum hæresiographorum nemo apertis idem verbis doceat, neque nos quidquam definire audemus, licet quandam SACCOPHOROS inter & ENCRATITAS dogmatum communionem intercessisse haud diffiteamur. Idem de APOTACTICIS sive APOSTOLICIS 38) qui in ENCRATITARVM referri solent numerum, nec non JULIO CASSIANO 39), eiusque, si qui fuerunt, sectatoribus, iudicium ferendum esse ducimus, quas quippe sectas omnes TATIANORVM quædam dogmata praxesque fuisse amplexas, constat quidem, non vero satis patet, circa aquæ in evcharistia usum easdem idem sensisse 40).

## §. X.

SEVERIANI vero post TATIANOS peculiarem mereri videntur mentionem, quos quippe omnem vini usum respuentes, in evcharistia eodem se abstinuissent, dubio caret. Dignum præcipue est, quod hic recitetur absonum istud ridiculumque figmentum, cui stolidam suam superstruxere sententiam. Qui enim sectam hanc stabilivit SEVERVS, siquidem EPIPHANIO fides habenda, 41)

38) ITTIGIVS *l. c. §. 16.* WALCHIVS *l. c. p. 869. §. 24.*

39) WALCHIVS *ibid. §. 25.*

40) Ampliori cunctas has sectas earumque historiam illustrare commentario haud suscipimus, bona lectorum venia a nobis omitti id, persuasi, præsertim quum allegatos a nobis scriptores evolventi fontes, e quibus accuratior istarum hauriri potest notitia, recludantur.





41) docere non erubuit, *vitem a serpente per caelestem virtutem in terram deiecto & cum terra congresso, natam, indeque sinuosos vitium flexus serpentum spiras imitari.* Quæ licet fatuitatem statim prodat opinio, fatis tamen ostendit, a sacris suis evcharisticis omnem vini usum eosdem coërcuisse.

## §. XI.

Tertio post natum salvatorem sæculo famosus ecclesiæ christianæ exstitit hostis MANES, sectæ amplissimæ pariter ac perniciosissimæ MANICHÆORVM auctor, cuius & sequacium fata dogmataque nemo non ex scriptoribus novit b. FABRICIO 42) allegatis, quibus merito JSAACI DE BEAUSOBRE 43) & b. a MOSHEIM 44) labores iungendi. Severissimæ MANICHÆOS studuisse abstinentiæ, præsertim vero vini omnem usum eos propterea respuisse, quod *fel illud tenebrarum principis in terram effusum*, ipse MANES edixerat, testimonia certissima loquuntur 45). Quæ cum ita sint, nemo quidem dubitabit, evcharisticum quoque vini usum ab ipsis fuisse reprobatum; at vero nondum inde patet, aquam eos in vini locum substituisse. Notavit iam b. a MOS-

B 3

HEIM,

41) *Hæresi XLV. §. I. add. ITTIGIVS l. c. §. 14. 15. Ven. WALCHIVS l. c. p. 869. §. 24.*

42) *Biblioth. Græca, Vol. V. Cap. I. p. 289*

43) *Histoire critique de Manichée et de Manichéisme, à Amsterdam, II Vol. 1734.*

44) *Comment. de reb. Christ. ante Const. M. Saec. III. §. 39. seq. p. 728.*

45) *Vid. a MOSHEIM l. c. p. 851.*





HEIM, luce destitui adhuc sacrorum MANICHAETS celebratorum notitiam 46), quanquam id AVGVSTINI praesertim testimonio constet, sacrae coenae usum *electis* inter ipsos, qui sanctiores aliis maiorique pollentes auctoritate reputabantur, solennem omnino fuisse. Num vero, quae doctorum virorum coniectura est, aquam adhibuerint, difficulter constitui posse, idem MOSHEMIVS fatetur, qui aliam ipse in medium profert, neque tamen firmioribus nixam rationibus, dum *oleo*, cui quippe multum inesse coelestis materiae affirmarunt, uti eosdem potuisse, opinatur. Licet vero tenebris, quibus MANICHAEORVM sacri ritus premuntur, dispellendis, vix quisquam hodie suffecerit, similior tamen veri eorum videtur coniectura, qui aquam pro vino ipsos usurpasse, opinantur. Quum enim ex mente MANETIS, vini, quod puriori christianae fidei addicti adhibebant, loco, aliud potus genus propinandum esset, tale, quod paratu facilius, aliarum sectarum usu iam comprobatum, neque a praxi orthodoxae ecclesiae prorsus alienum erat, (docebit namque Sectio II. huius libelli, mixtionem aquae cum vino evcharistico tunc temporis iam in ecclesia viguisse,) elegisse MANICHAEOS, si quid coniiicere valelemus, putamus, proptereaque ipsorum sacris *aquam* potius quam *oleum* convenire, iudicamus, 47) alias nunc rationes

46) *ibid.* p. 894

47) Ita nobis videtur, salvis tamen aliorum iudiciis. Siquidem enim dubiis omnibus potiora sunt, quae ex MANETIS de elementis doctrina notavit b. a MOSHEIM, l. c. p. 762. aquam eundem tenebris adunxisse, videri omnino poterit, MANETEM et sequaces a tenebroso isthoc elemento tantum abhorruisse, ut ex sacris suis illud exesse minimum iusserint. Quid vero, si

*aquam*





rationes idem confirmantes, prætereundo. 48)

§. XII.

Verfati sumus adhuc in recensendis iis vini evcharistici osoribus, qui ab antiquissimis ecclesiæ doctoribus hæreseos propterea aperte accusantur, neque difficile est erroris istius originem detegere fontemque. Est namque notissimum, omnes fere orientis sapientes antiquissimos, propterea quod plerique illorum duplex rerum principium finxerunt, & ad mali quidem principium, quicquid homini vel natura sua & indole, vel ex accidenti nocivum deprehendebant, retulerunt, a vino vel prorsus abstinendum esse docuisse, vel usu tamen illius suos interdixisse & solum aquæ potum sibi indulgisse. 49) Constat porro inter omnes, primos, qui ecclesiam turbarunt, hæreticos, cunctos fere doctrinæ christianæ, ex gentilium orientis philosophorum placitis non modo, verum & moribus, quidquam adfuisse, quod prolixè alii evicerunt; 50)

*aquam bonam, puram nempe, limpidam et fœcum expertem evcharistico usui accommodassent? Vid. ibid. p. 764*

48) Posset huc referri, quod in *Cod. Theodos. L. XVI. tit. 5. de hæretic. l. 7.* HYDROPARASTATARVM mentio fit, quo nomine hic præsertim intelligi MANICHÆOS, GODOFREDDVS in *adnotat. ad h. l.* affirmat.

49) Legantur quæ huc facientia studiose congeffit, PAVLVS ERN. IABLONSKI, in *Pantheo Aegyptiorum P. I. p. 131. seqq.* et facili negotio, diversis Philosophorum scholis communem fere de vino vitando sententiam sedisse, probari posset. De PTHAGORÆIS ostendit id VEN. BRVCKERVS in *Hist. Crit. Philosophiæ, Tom. I. p. 1037*





50) quare & ex hoc fonte vini in eucharistia neglectum, & receptum pro eo aquæ usum derivare, nulli dubitamus. Et plus fidei isthæc sententia meretur, quam nudæ coniecturæ tribuendum. TATIANVM quippe, postquam mortuo præceptore, IVSTINO MARTYRE, a doctrinæ puritate deficere cœperat, ex orientalium philosophia partem errorum suorum potissimam traxisse, b, a MOSHEIM testimoniis fide dignis iam probavit 51). De MANETE non minus patet, ex veteri Persarum aliorumque philosophia, & christiana disciplina, mirabiliter compositam religionis formam eum excogitasse 52).

§. XIII.

Eundem vero morem, præter enumeratos hæreticos, alii quoque ex veterum christianorum puriori coetu recepere, quibus tamen ipsi antiquiores ecclesiæ doctores erroris quidem propterea, haud vero hæreseos notam inusserunt. Testem hic producimus inclytum *ecclesiæ Carthaginensis* episcopum, CYPRIANVM, doctorem Sæc. III. celebrem, qui *vel ex ignorantia, vel ex simplicitate aliquos contra evangelicam & apostolicam disciplinam* quibus-

50) *Vid. b. a MOSHEIM Comment. de reb. Christ. ante Const. M. Sec. II. §. 34. 35. 41. Ejusd. Comment. de turbata per Platonicos ecclesia, quæ CVDWORTHII System. Intell. adjecta. b. BVDDEVS de ἀπλησεί Philosophorum, in Analectis Histor. Phil. præsertim p. 449. seq.*

51) *Comment. de reb. Christ. §. 61. WALCHIVS, H. E. N. T. Sæc. II. Cap. IV. Sect. I. p. 865.*

52) *Sunt verba MOSHEIMIANA l. c. Sec. III. §. 39. p. 728. add. WALCHIVS l. c. p. 1199. §. II.*





quibusdam in locis aquam in dominico calice offerre tradit, quorum tamen simplicitati de indulgentia Domini veniam esse concedendam, disertis verbis præcipit 53). Hunc a vino in sacris abstinendi morem idem CYPRIANVS præterea metui tribuit, quo ducti quidam in sacrificiis matutinis verebantur, ne per saporem vini redoleant sanguinem Christi 54), quem primævis Christianis metum dubio procul molestissimæ atque crudelissimæ, quibus obnoxii erant, persecutiones incussere. Meretur autem eo majorem hæc CYPRIANI *Epistola* attentionem, quum ex eadem constet, non falsas solum opiniones, verum & alias causas usum aquæ eucharisticum olim introduxisse, quem tamen nec propterea tolerandum in ecclesia esse, graviter quidem, licet argumentis non omnino idoneis, eadem docet.

## §. XIII.

QUOS GENNADIVS MASSILIENSIS 55) inducit, qui sobrietatis studium præ se ferentes, sæculo V. reiecto vino, aquam puram in eucharistia adhibuere, num ad superius memoratorum cœtum quendam referendi, num vero

53) *Vid. Epistola LXIII. ad CAECILIVM, Opp. ex edit. GOV-LARTII p. 173. sqq. quæ est in edit. ERASMI Epistola III. Libri II.*

54) *Ibid. p. 12. Num isto ævo inusitatum plane fuerit, vinum maturino tempore bibere, quod ex Actor. II. 15. b. BÖHMERVS in Diss. Jur. Eccl. ad PLINIVM & TERTVLLIANVM p. 258. evincere velle videtur, ulteriori disquisitione indiget, quam quidem a nobis institui nunc potest.*

55) *Lib. de dogmat. Eccles. Cap. LXXV.*





vero ab iis discernendi sint, ex ipsius testimonio adeo haud constat, ut certi quidquam de ipsis statuere fas sit. Videtur interim prius veri simillimum, quum TATIANOS et alios eundem prætexuisse singularis continentiae cultum, supra jam indicatum sit, & EPIPHANIVS testetur 56).

## §. XV.

Dum antiquissima, quibus aqua vini eucharistici locum sustinuit, tempora lustravimus, varia, quibus istum morem tenentes insigniti fuere, nomina offendimus generaliora, de quorum potestate & significato quædam addere, nostri esse negotii omnino ducimus. Prima, quæ hic occurrit, τῶν ἐγκρατιτῶν denominatio est, pro qua voce latini scriptores *abstinentium* & *continentium* nomina adhibere 57). Patet vero cuilibet, citatos jam scriptores evolventi, non omnes istos hunc aquam in S. cœna adhibendi morem *Encratitis* diserte adscribere, verum alios eo nomine insignire quosvis, quicumque singularis abstinentiae studium sectati, tum possessiones bonorum atque dominii proprietatem averfati sunt, tum conjugia reprobarunt, tum a cibi potusque generibus alias usitatis diligentius sibi caverunt; aliis e contrario vel TATIANOS isto nomine venire, vel diserte, prouti EPIPHANIO, istos indicari, qui aquam in eucharistia distribui

56) *Adv. hæres. Lib. II. Tom. II. hæres. 47. n. III.*

57) IRENAEVS de *Hæres. L. I. cujus verba græce recenset EVSEBIUS Hist. Eccles. Lib. IV. Cap. 29. EPIPHANIVS l. mox c. PHILASTRIVS hæres. LXXII. edit. Fabric. p. 140. AVGVSTINVS hæres. XXV. CLEMENS ALEXANDR. Strom. L. VII. et alii.*





tribui oportere, contenderunt. Porro τῶν ὑδροπαραστάτων & *Hydroparastatarum* denominationes occurrunt, quas Romanorum usi lingua, *aquarios* reddidere 58). Quamvis vero varius omnino atque inconstans horum nominum apud veteres scriptores usus inveniatur, non raro tamen iisdem omnibus tanquam synonymis utuntur, unde non omnino nulla in veterum hæresium historia difficultas enata. Nobis autem non ejusdem prorsus potestatis eadem videntur. Et opinamur, *Encratitarum*, *continentium abstinentiumque* nomina lacius patere, quam ut iis tantum, qui aquam solam in eucharistia adhibuerunt, tribui possint, neque tuto semper, ubicunque horum mentio facta, ad istum de sacræ cœnæ materia errorem concludi. Quodsi enim vel ad solam vocis originem respexeris, quam ab ἐγκρατεια descendere, nemo facile dubitaverit, statim adparebit, quodlibet temperantiæ atque sobrietatis, cujuscunque ea generis fuerit, vel circa quæcunque illa semet exserat objecta, studium eadem denotari, ut adeo ENCRATITAE, nostro iudicio, in universum omnes dicti fuerint, quicunque lautio rem vivendi rationem sibi negarunt, insigni morum severitate alios victuri. Suffragantur huic opinioni, JRENAEI, qui dubio procul primus mentionem τῶν ἐγκρατιτῶν iniecit, verba, EVSEBIO citata, 59) ex quibus constat, aliis quoque

58) PHILASTRIVS hæres. LXXVII. edit. Fabr. p. 146 et nota a. AVGVSTINVS hæres. L XIII. Conf. ITTIGIVS l. c. Cap. XII. §. 10 ad 14. SVICERVVS Thes. Eccles. voc. Συναξίς et ὑδροπαραστάται.

59) Hist. Eccles. Lib. IV. Cap. XXIX. cujus loci hic interpretationem latinam tantum subjungimus: *Hæretici, quidam, (qui*  
ἐγκρατῶν





quoque temperantiæ continentiaque speciminibus, non vero vini præcipue fuga, ENCRATITAS nomen istud esse sortitos. Quæ quum ita sint, neque TATIANOS ubique eodem indicari, verum & alios, severiorem vitam colentes ipso insigniri, statuendum, eosque magis adhuc errasse censendum est, qui singularem hæreticorum sectam ex ista denominatione effinxerunt. Quod vero TATIANI præ aliis eo nomine appellati, eius quidem rei rationes videntur nobis, tum magna sectæ fama, tum quod ipsius auctor primus strenuæ pietatis, quam præ se ferebat, specie, maximum nomen consequutus fuit, populique animos vehementer adlexit; 60) quare, quum *Encratitæ* potissimum audirent, qui austeram vivendi rationem sequebantur, hi autem omnes fere TATIANI lege moribusque vivere censerentur, facillime evenit, ut communi ENCRATITARVM nomine præcipue TATIANI sectatores insignirentur. Prouti vero ENCRATITARVM nomen generalius est, & aliis quam vini eucharistici osoribus conveniens, ita HYDROPARASTARVM & AQVARIORVM nomina tantum eos denotare,

*ἐγκράτεις*, id est continentes nuncupati sunt,) tanquam a Saturni ac Marcionis schola profecti, non contrahendum matrimonium prædicant, inque eo veterem Dei improbant fabricationem: et Deum, qui masculum et feminam ad humani generis propagationem creaverat, tacite reprehendunt, docentque ab animantibus, quæ apud eos *ἐμψυχα* appellantur, abstinendum, seque propterea ingratos Deo, qui omnia condiderat, ostendunt. Add. BALSAMON ad S. BASILII Canones in GVIL. BEVEREGII Synodico, Tom. II. p. 49. MATHÆI BLASTARIS Syntagma, *ibid.* P. II. p. 7.  
60) Vid. b. a MOSHEIM *Comm. de rebus Christianor. ante Constantinum M.* p. 398





tare, qui aquam solam in eucharistia propinarunt, tum vo-  
cum origo monstrat, tum auctoritate scriptorum nititur.  
AVGVSTINVS namque, ubi AQVARIORVM hæresin  
notat, ipsos ex eo appellatos esse tradit, *quod aquam  
offerunt in poculo sacramenti, non illud quod omnis ec-  
clesia.* Pariter in synodo quinifexta, sive Concilio in Tru-  
lo Constantinopoli anno DCXCII. celebrato, 61) HYDRO-  
PARASTATAE propterea damnantur, quod pro vino  
sola aqua in sacrificio usi fuerant. 62) Et non parum  
his, quæ a nobis exposita sunt, accedit roboris a THEO-  
DORETI, utriusque ENCRATITARVM & HYDROPA-  
RASTATARVM nominis potestatem ita distinguentis,  
testimonio sequenti: *Hunc, (TATIANVM puta,) habent  
ducem, qui HYDROPARASTATAE & ENCRATITAE  
dicuntur. HYDROPARASTATAE autem nominantur,  
quod aquam pro vino offerant; ENCRATITAE vero,  
quod nec vinum bibant, nec animatis vescantur. Ab  
his autem abstinent, tanquam malum abhorrentes.* 63)  
Appellabantur itaque ENCRATITAE, quicumque eximio

C 3

tem-

61) De cuius historia nondum satis exposita explicataque consu-  
latur S. REV. WALCHIVS, Götting. Theologus, in *der Historie  
der Kirchenversammlungen*, p. 441

62) *Can. XXXII.* Πονηρὰς τῶν ὑδραπαραστατῶν αἰρέσεως  
παλαιᾶς ὑπαρχούσης, οἱ ἀντὶ οὗτος μόνῳ τῷ ὕδατι ἐν τῇ  
δικαίᾳ θεοσίᾳ κέχρηται. *Vid. Tom. XVI. Concil. Coll.  
Reg. Paris. p. 629. GVILBEVEREGII Synodicon Tom. I.  
p. 194. et scholia BALSAMONIS, ZONARAE atque  
ARISTENI adjecta. Add. BLASTARIS Syntagma, ibid.  
p. 8. et p. 152*

63) *Hæret. fabular. L. I. Cap. XX.* Conf. hic quoque LAR-  
ROGVE, l. c. p. 32





temperantiæ & ἀσκητικῶς studio excellere videri volebant, quorum aliqui eo processerunt, ut omnem vini usum reiicientes, ne in eucharistia quidem locum ipsi reliquerint, quare HYDROPARASTATARVM peculiari nomine venerunt, quales quum TATIANI, MARCIONITAE, SEVERIANI, MANICHAEI, existerent, utroque propterea nomine ab antiquis insigniti fuere scriptoribus. Et hinc simul liquere putamus, quare EBIONAEI & ELCESAITAE, severam quoque mortum disciplinam exercentes, inter ENCRATITAS primum, & dein, per speciei pro genere metonymiam, HYDROPARASTATAS quoque, numerati fuere.

## §. XVI.

Vbicunque vero isthæc ENCRATITARVM, HYDROPARASTATARVM, & quæ synonyma ipsis sunt, vocabula occurrunt, hæreticorum quandam sectam iisdem denotari, adeoque iis tantum, qui a veritate cœlestis doctrinæ deflectentes, erroneæ cuidam opinioni praxin suam institutaque superstruebant, ea tribui, vel inde iam manifestum est, quod hæresiographi antiquiores, IRENAEVS, EPIPHANIVS, PHILASTRIVS, AVGVSTINVS, hæreticorum a se collectis catalogis eadem inferuerunt. Quodsi itaque vel ignorantia seducti vel indecoro metu perculsi quidam aquam in eucharistia potius quam vinum admiserunt, (cuius rei exemplum supra §. XIII. iam proposuimus,) non statim ii ENCRATITARVM aut HYDROPARASTATARVM sequaces propterea habendi sunt. Produximus supra CYPRIANVM, christianæ fidei cultores, qui morem istum receperant, reprehendentem quidem, at vero nullam hæreseos suspicio-





spicionem ipsis propterea parientem, ut excusare potius eosdem studeat. Hinc ii genuinam huius doctoris mentem adsequuti haud videntur, qui contra AQUARIOS eundem calamum strinxisse affirmant, quæ communis fere commentatorum CYPRIANI, nec non BARONII 64) & aliorum sententia est. Licet namque argumentorum, quibus CYPRIANVS pugnat, pleraque ad confundendos AQUARIOS apta sint comparataque, omnis tamen, quam instituit, disputatio monstrat, non cum ecclesiæ hostibus, sed membris potius a recta aberrantibus via, rem ipsi fuisse.

## §. XVII.

Merito autem displicuit introductus hic a quibusdam, sanctissimæ salvatoris voluntati mandatoque adversus mos, orthodoxis ecclesiæ doctoribus, quorum scriptis non modo, sed integrorum quoque conciliorum placitis impugnatus fuit atque reiectus. Vt enim nunc antiquissimos hæresium historiam indicemque exhibentes scriptores taceamus, quorum alii uberius fufiusque, præcise alii, contra eundem disputaverunt; non defuerunt præterea ex primis ecclesiæ doctoribus, qui data eidem opera se opposuere. Sæculo II. iam MVSANVS, 65) ENCRATITIS singularem libellum opposuit, EVSEBIO non sine enco-

64) *Annal. Eccles. ad ann. CCZVII. §. 9.*

65) Vixisse eundem sub M. ANTONINO VERO et LVCTIO AVRELIO COMMODO, HIERONYMVS testis est, *Lib. de viris illustr. C. XXXI. in FABRICII Biblioth. Eccles. p. 100. 101. add. GVIL. CAVE Hist. litt. Script. eccles. T. I. p. m. 36. qui circa annum CLXXVI. eundem claruisse, refert.*





encomio allegatum 66) qui tamen ætatem haud tulit neque ad nostra pertigit tempora. 67) Dein, præter CYPRIANVM paulo ante citatum, CHRYSOSTOMVS eundem morem, CHRISTI instituto adversum, graviter impro-  
bavit, 68) unde quam aliena isthæc praxis a purioris ecclesiæ doctrina iudicata fuerit, satis adparet. Neque defunt Conciliorum decreta ipsi adversa, ex quibus, præter citatum iam TRVLLANVM, hic modo producimus *Canones* sic dictos *Apostolicos*, 69) & concilia, CARTHAGINIENSE 70) quod etsi aperte eundem non damnet, attamen, quum vinum in eucharistia adhibendum esse, præcipit, contra eundem valere omnino censendum est; & TRIBVRIENSE, quod distinctius eundem reprobavit 71). Præterea quanto ENCRATITAS HY-  
DRO-

66) *Histor. Eccl. L. IV. Cap. XXVII.*

67) Ad penitus noscendam Encratarum hæresin equidem egregie sine dubio conduceret liber, dummodo ejus copia haberetur. Ex EVSEBII tamen verbis adparet, MVSANVM non ipsos Encratitas, sed fratres potius, qui ad eorum hæresin inclinabant, impugnasse, neque, num aquæ usum eucharisticum præcipue rejecerit, tuto satis conicere licet.

68) *Homil. L XIII. in Matth. C. XXVI.*

69) *Canone III. in BEVEREGII Synodico Tom. I. p. 2. Collectos ex variorum conciliorum, primis post Christum natum sæculis celebratorum, decretis placitisque fuisse hos canones, recte judicat BEVEREGIVS Præfat. in Annot. in Can. Apost. §. X. seq. quæ integra præfatio legi hic præsertim meretur in Synod. Tom. II.*

70) *Canone XL. vid. ibid. Tom. I. p. 565. et legatur ZONARAS ad eundem.*

71) *Cap. XIX. Non debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permistum, etc. Vid. CARANZAE summa Conc. p. m. 611.*





DROPARASTAT ASQVE odio habuerit primitiva ecclesia, vel exinde patet, quod s. BASILIUS in Epistola Cánico prima, qua AMPHILOCHIO, *Iconiensium Episcopo*, de iterando hæreticorum in ecclesiæ consortium recipiendorum baptismo, quærenti respondet, illorum quoque diserte meminit, numque reversi in orthodoxorum gremium, sacro iterum abluendi sint lavacro, disputat. 72) Ex quibus omnibus satis constat superque, antiquissimæ ecclesiæ membra vini in eucharistia usum indispensabili prorsus lege præceptum demandatumque reputasse, atque a sanctissimi salvatoris instituto haud esse recedendum, sensisse 73).

## §. XVIII.

Ex latius adhuc a nobis exposita succetæ in vini locum aquæ historia, nunc quænam moris istius fata fuerint, facili elicietur negotio. Sæculi post natum Christum secundi temporibus initium dubio procul sumfit, quibus quippe tum EBIONAEI & ELCESAITAE, tum TATIANI, MARCIONITAE & SEVERIANI innotescere cœperunt suaque doctrina pariter atque disciplina ecclesiæ christianæ molestiam turbasque moverunt. 74) Hos inter TATIANORVM secta ad quartum 74) usque sæculum,

72) Apud BEVEREGIVM *Tom. II. P. I. p. 48.* & legantur antiquiorum adjuncta scholia.

73) Plures qui scriptis suis Encratis se opposuerunt, THEODORÆTUS, *hæret. fab. L. I. C. XXI.* & ex eo VEN. WALCHIVS recenset, *H. E. N. T. p. I. p. 868. n. \*\*\*.*

74) *Vid. supra §. VI. ad X.*





lum, quin longius, in Syria præfertim viguit, 75) suamque disciplinam propagavit. Præter ipsos tertio iam sæculo MANICHAEI longe lateque suos sparsere errores, quos hunc quoque morem amplexos fuisse, veri omnino simillimum videtur. 76) Eodem sæculo tertio nonnullos puriori christianorum doctrinæ, ab hoc si discesseris, addictos, eundem adscivisse morem, supra docuimus, 77) Licet vero forti animo purioris fidei doctores cunctis his tunc semet opponerent, non tamen tollere ipsum vel extirpare, neque omni licet adhibita cura impedire valuerunt, quo minus diutius idem vigeret. Sæculo namque nono vergente adhuc exstitisse, qui eundem tenebant, exinde coniecere licet, quod congregati in *concilio Triburiensi*, anno CIOCCCXCV. celebrato, episcopi, expresso eidem occurrere mandato, necesse duxerunt, cui accedit, quod non incelebris istius aevi scriptor, RABANVS MAVRVS, fuisse quosdam, qui sobrietatis singularis laudem captantes, in sacra coena puram usurpabant aquam, tradidit 78).

## §. XIX.

Quum errori huic atque a prima salvatoris institutione alienæ praxi, eximio ardore ecclesiæ christianæ proceres, quod supra ostendimus, se opposuerint, creditu

75) Vid. a MOSHEIM *Comment. de reb. Christianorum ante CONSTANTINVM* M. p. 399. n. \*\*\*\*\* WALCHIVS l. c.

76) Vid. §. XI.

77) Vid. §. XIII.

78) Quem citant *Centur. Magdeburg. Cent. IX. C. VI.* edit. Basil. quæ prodiit 1545. p. 248.









annos Romæ consumpsit, 82) prætereaque ipsi Pontifici JULIO II. commentarios suos dedicationis formula commendavit, nequidquam tale ausurus, si antecessorem palam calumniis onerasset. Et licet non omnium calculum scriptis suis tulerit, tamen quæ de *Italicis*, sui præsertim ævi, rebus singularia habet, fide privanda non esse, fatentur quoque, parum alias laudis scriptori, morum gravitate vitæque sanctimonia claro, tribuentes. 83) Deinde, quæ obiici solent ipsi, tanti haud ponderis sunt momentique, ut propterea res omnis dubia vel falsa ementitaque appareat. Sunt ex illis potissima, quæ NATALIS ALEXANDER habet, quod huius dispensationis nullus alius testis proferatur; quod verisimile haud sit, *Norvegos* legatione Romam missa, tale quid a Papa petiisse, quum satis constet, generosa vina ibi locorum conservari, eorumque copia regnum istud abundare; quod nullum ea de re decretum exstet; denique, quod Pontifex istud concedere haud potuerit, & in eo, quod divini iuris est, dispensare. Ad primum enim quod attinet, unius testis *συγγεγραμμεν*, præcipue in loco ubi res gesta, viventis, testimonium, contra aliorum silentium, nisi aliæ falsitatis illud arguant rationes, sufficere nemo facile inficiabitur, præsertim, quum absoluta omnibus numeris vitæ INNOCENTII VIII. descriptione adhuc careamus. 84) Neque alteri, quod in medium prolatum est, dubio, multum inesse roboris iudicabit, quicumque exquisito examini

82) Ubi ipsum citatum opus conscripsit, proptereaque commentarios *urbanos* nominavit.

83) Judicia eruditorum de ipso collecta habet POPE BLOUNT, *Cens. Auctar.* p. 523.

84) *Vid. S. rev. WALCHII Historie der Pabste, l. c.*





mini idem subiecerit. Quæ enim auctis recentiori ævo, maritimis imprimis, commerciis, magisque exulta vina conservandi arte, in Norvegiam advecta est illius copia, superioribus certe sæculis regno isti nondum contigerat, licet haud negemus, antiquissimis iam temporibus hoc potulenti genus, at parcius tamen, illuc fuisse delatum. Quare insignis isto ævo vini caritas facile *Norvegos* impellere potuit, ut eiusmodi papali dispensatione frui optarent. Præterea diversæ plures aliæque gentem movere potuerunt causæ, quare eiusmodi privilegio instrui cupivit. 85) Vltimum quidem NATALIS ALEXANDRI argumentum gravissimum foret, si unicum hoc audaciæ papalis exemplum suppeteret. Verum, quum neminem historiæ pontificum gnarum lateat, quot quantosque in supremi Numinis sanctissima iura impetus facere Romanæ ecclesiæ præsules veriti haud fuerint, neque ista, quæ opponitur, ponderosissima alias dubitandi ratio, fidem omnem VOLATERRANI subvertere, censenda erit. Atque sic tertio quoque dubio facile poterit occurri. Animadvertentibus namque dein vel INNOCENTIO ipso, vel successoribus, quousque isthæc processerit ferocia, ne tanti facinoris memoria ad posteritatem propagaretur, summam curam adhibitam fuisse operamque, quo omnia

D 3

eius

85) Dubitat NATALIS ALEXANDER de legatione a *Norvegis* propterea *Romam* missa, neque tamen VOLATERRANVS clare satis expressit, num legatio ista a *Norvegis* profecta, num vero *Roma* in *Norvegiam* missa fuerit. Posterius veri viderur similis, quum constet, INNOCENTIVM VIII. in regna septentrionalia ablegasse, qui pauperes insatiabili modo explumarent, prouti loquitur PAVLVS LANGIVS, *Chronico Citizenfi ad ann. CIOCCCCLXXXIII.*





eius decreti exempla tollerentur, a veritate alienum haud videtur. 86) Quæ cuncta, qui rite pensaverit, inde tandem conficiet, non plane fallax VOLATERRANI testimonium ducendum, sed suspicandum potius, eo progressum fuisse INNOCENTII mirabilem temeritatem, ut neglecto salvatoris instituto & posthabita universæ recte sentientis ecclesiæ antiquioris auctoritate, in immutanda evertendaque ipsius sacramenti substantia, quidlibet audendi aequam sibi esse potestatem, putaverit, eximium papalis arrogantiae monumentum ita ponendo 87).

§. XX.

Purgato divi LUTHERI opera a pontificiorum næniis Summi Numinis cultu, restitutaque S. scripturæ luce, purioris ecclesiæ membra de vini in eucharistia usu necessario, dubitare amplius nequeunt, quum salvatoris exemplum effatumque palam eundem doceant. Merito igitur in admirationem traducimur, in ipso *Lutheranorum* cœtu deprehendentes, qui vino eucharistico aquam sine iniuria suffici posse contendunt, & suam argumentis munire sententiam laborant. Prima, quæ nobis innotuit, hac de re mota est Svecicæ ecclesiæ controversia, cuius documenta IOANNES BAAZIVS ad nostra tempora

86) Sumimus hic ALEXANDRI fide, istius decreti exemplum nullibi extare, quod tamen nec probavit ipse, nec solido argumento evinci posse, credimus.

87) Num validioribus VOLATERRANI testimonium-argumentis impugnet BENEDICTVS XIII, quum librum legendi copia destituamur, aliorum iudicio relinquere cogimur.





pora transmifit 88). Mortuo namque GVSTAVO I. Sveciæ rege, fuccefforem, ERICVM XIII. inter & FRIDERICVM II. Daniae Norvegiæque regem, funefta orientantur belli diffidia, Svecis propterea quoque molefta, quod fal vinumque illuc advehi, Danicæ naves impedirent, unde tanta vini penuria exorta, ut ne pro euchariftico quidem ufu eius copia fuppeteret. Agitata tunc fuit controverfia, numne aqua vel aliud potus genus in euchariftia fine crimine adhibere liceret? quæ quum placere quibusdam fententia videretur, Epifcopi & ecclefiæ Svecicæ præcipui proceres, eidem fe oppofuerunt, argumentaque vini in euchariftia neceffitatem adftruentia, fcripto confignarunt, quod integrum BAAZIVS libro citato exhibet. Præter petita ex Scriptura S. argumenta, S. S. patrum & recentiorum ecclefiæ Lutheranæ Theologorum testimonia copiofe adducunt, & tandem his verbis mentem fuam palam explicant: *Quare tempore neceffitatis, ubi creaturas a filio Dei in uſum sacramentalem electas, habere non poſſumus, conſcientiæ afflictæ nulla ratione melius ſuſtentari poſſunt, quam univerſali filii Dei promiſſione: omnis qui credit in me, mortem non videbit in æternum* &c. Verum, quum populus ſacramento privari conquereretur, ipſeque ERICVS de ſubditorum fide incertus, periculum aliquod inde metueret, 89)

ex

88) Libro cui titulus. *Inventarium Eccleſiæ Sveco-Gothorum, continens integram hiftoriam Eccleſ. Svec. Libri VIII. Lincopia CIÖICXLII. in 4to, p. 302. ſeq. de cuius libri inſigni raritate legantur DAN. GERDESII Hiftoria Reformationis, inter documenta Tomo III. adiecta, p. 173. & DAVID CLEMENT dans la Bibliotheque de livres difficiles à trouver, Tom. II. p. 322.*

89) Vid. LOCCENII *Hift. Svec. Lib. VII. p. m. 347.* & WEBERI *Singularia ad Hift. ERICI XIII. ſpectantia, Gieſſæ 1711.*





ex archiepiscopo regni, LAURENTIO NERICIO, atque episcopis, *Strengnensi & Arosiensi*, regio mandato vocatis, quærebat: *Annon liceat propter defectum vini administrare S. cœnam in alio potu, quam vino?* quumque Archiepiscopus forti animo quæstionem propositam negaret, tandem regio nomine præcipiebatur, *ut pastores, absque omni tergiversatione, administrent suis auditoribus S. cœnam, in quocunque liquore sacrum poculum porrigere possint, ne populus faciat tumultum propter S. cœnæ defectum.* Contra quod regis mandatum tantum valebat Archiepiscopi auctoritas, ut vocati ecclesiarum præfules concluderent, *vinum, ubicunque posset, comparandum, & antequam absumeretur, alio liquore, aqua vel mulso, permiscendum esse.* Sed *Arosiensis* episcopus, IOANNES OFREG, aulæ nimum auram captans, scriptis ad dioecesanos suos litteris 90) regii mandati iustitiam, argumentis, ab usitata in antiquiori ecclesiæ aquæ cum vino commixtione, atque deficiente expresso Christi mandato, potissimum, sed incongrue, desumptis, tueri temere sumebat, tandemque concludebat: *Hæc omnia, dum ipse considero, in præsentis defectu vini suadeo, administrandam esse in eucharistia potius aquam, quam omittendum esse huius sacramenti usum, - - - Deum oro, ut lucem hanc accensam in Svecico regno nostro una cum regia clementissima Maiestate, quæ doctrinam sanam nobis consulit, conservare dignetur.* Quo tamen ausu suo episcopus, præter, quod LIQVORISTÆ nomen in Svecia adeptus fuit, nihil effecit, quum teste BAAZIO allata vini copia sufficiente, inventi non sint ecclesiæ

90) quas integras exhibet BAAZIVS p. 306.



ecclesiæ ministri, poculum sanguinis dominici in pura  
 aqua aut alieno liquore administrantes.

§. XXI.

Noftrates inter eruditos, *celeberrimus Fridericianæ*  
*quondam Cancellarius*, b. a LVDEWIG aquam puram  
 vini loco in eucharistia licite adhiberi posse, sibi aliisque  
 persuadere, ast fundamentis tamen parum idoneis, anni-  
 fus est. 91) Opinatur namque & hic, ut sæpissime alias,  
 sibi soli in veram rei causam penetrare licuisse, dum re-  
 ceptæ a Pontificia ecclesia communionis sub una, veram  
 causam eamque solam, vini in pluribus Europæ provin-  
 ciis inopiam prætendit, sedique papali suadere conatur,  
 ut, mutata nunc rerum facie, abundantibusque iam vino  
 universi fere orbis terris, calicem benedictum laicis pro-  
 pinandum, denuo concedat. Quam hanc locum per-  
 tractandi ansam, qui eius mos est, avide arripiens, plura  
 congeffit, quibus orthodoxæ ecclesiæ de vini in eucha-  
 ristia necessitate doctrinam, subvertere conatur, quæ ta-  
 men cuncta hic discutere, necesse haud ducimus, quum  
 plurimis erudite iam b. BÖHMERSVS satisfecerit 92). Id  
 tamen miramur, virum in historia omni alias versatissi-  
 mum, veram substitutæ pro vino aquæ originem vel ig-  
 norasse, vel dissimulasse adeo, ut *hydroparactas aquari-*  
*osque* ob vini tantum inopiam, morem istum recepisse,  
 eundemque in *concilio Trullano* demum hæreseos damna-  
 tum

91) *Comment. in Aur. Bullam Tit. II. §. 9. Tom. I. p. 304.*

92) *Iur. Eccles. Lib. III, Tit. XLI. §. 29. 30. 31.*

3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
10.  
11.  
12.  
13.  
18.  
14.  
17.  
16.





rum esse, tradiderit. Num virum, tot vasta, patrum quoque, volumina devorantem quasi, latere potuit, primis statim post natum salvatorem sæculis, hæreticis adnumeratos fuisse, quicumque vinum eucharisticum negligendo, aquam solam adhibuerunt? Numne immensæ lectionis vir, ex errore potius falsaque doctrinâ, quam vini defectu, vel naturali eius fuga, morem eundem primum introductum esse, ignoravisse, an dissimulasse hoc studiose, censendus erit? Judicent alii, nobis & hic, quæ solemnibus ipsi LVDEWIGIO erant, nimiam in paradoxas sententias propensionem, offendisse videmur, nihil amplius nunc addentes, nisi, quod probari etiam haud possit, tanta olim Sveciam vini laborasse inopia, ut incitiam propterea HONORIVS III. Papa, Episcopo Ypsaliensi, ut plus vini quam aquæ in sacrificio ponat, mandans, 93) vel imprudentiæ arguatur, quum isto tempore in conviviis Svecos vino iam usos fuisse, constat. 94) Reliqua LVDEWIGIANA solide b. BÖHMERS occupavit. De proposita non ita pridem in ecclesia nostra CEL. AHLWARDTII hac de re sententia, qui §. III. eius iam meminimus, nihil adiicimus, si non, quod in omnibus libri supra citati exemplis, expressa eadem, teste ILL. DE BALTHASAR, 95) haud inveniatur.

93) Cap. Perniciosus 13. X. de celebr. missæ.

94) Vid. III. DALINI Geschichte des Reiches Schweden P. II. p. 252 not. n.

95) in den Anmerkungen über die Pommerische Kirchen-Ordnung und Agende p. 246. nota 215.

SECTIONIS I. FINIS.





# COROLLARIA.

I. Princeps subiectis suis in-  
iungere legitime potest, ne  
quis sacramenta, imprimis  
S. cenæ, contemptui habeat,  
vel contumeliis iniuriisve  
eorum cultores afficiat.

II. Ritus religiosi omnium  
gentium sunt pro sanctis ha-  
bendi, & bonæ frugis ci-  
vem, quin præcepta rectæ  
rationis sequentem, dedecer,  
vel falsæ religionis cultor-

res in exercitio eorundem  
turbare, dummodo publicæ  
securitati haud officiant.

III. Non iubemur per chri-  
stianæ fidei præcepta a vera  
religione aberrantes odio  
persequi; idem vetamur  
potius.

IV. Definitio Theologiæ, qua  
habitus practicus de Deo  
rebusque divinis dicitur,



Logicæ regulis partium congrua est. Diceretur accuratius habitus theoreticus, cuius finis est, ad veram pietatis praxin ducere.

V. Immortalitas animæ ex folis rationis principiis apodictice probata non est, nec potest probari.

VI. Mendacia, prout DD. Iuris naturalis ea a falsiloquiis distinguunt, non semper absolute iuri naturæ repugnant.

VII. Secundum ius naturæ pacta non possunt dissolvi, nisi per mutuum eorum, per quos inita sunt, con-

sensum, & exceptionem læsionis ultra dimidium ius naturæ ignorat.

VIII. Leges, nisi naturales, pacta, conventiones, ex ipsa natura sua indoleque, in perpetuum durare nequeunt; pax itaque æternum duratura, fœdus æternum, lex in perpetuum duratura, non sunt nisi verborum crepundia.

IX. Principium contradictionis est vere indemonstrabile, & quæcunque ad id probandum suppeditantur rationes, non nisi verborum lusibus nituntur.





AD  
NOBILISSIMUM  
RESPONDENTEM  
PRAESIDIS EPISTOLA.

---

*Ex quo mihi primo innotuisti, AMICE PRAESTANTIS-  
SIME, statim, nescio quae, animum meum cepit, TE  
familiarius utendi cupido, aucta dein vehementiorque,  
postquam per aliquot annorum consuetudinem, quam bi-  
nis ternisve in dies singulos horis TECVM habui, prae-  
stantes, quibus TE natura exornavit, animi dotes cu-  
ratius perspexi, ingeniumque in TE perspicax, indo-  
lem singularem et praeclara ad solidam veramque eru-  
ditionem omnemque virtutem principia deprehendi. At-  
que grata inter, quae mihi acciderunt, iucundaque nu-  
mero, quod TE auditorem nactus fui laborumque sodal-  
lem, qui omnium de se susceptam expectationem nequa-  
quam faller, ipsoque opere, se non sine fruge in studiis  
versatum esse, olim monstrabit. Neque vero falsus ego  
aliquando vates exstiturus sum, dum, qui TE noverunt,  
omnibus mecum constat, in iis TE litteris esse, in qui-  
bus esse debet, qui ad sapientiae arcem contendat, prae-  
terea-*




tereaque cum litteris TE virtutem ita copulare, ut propter utrumque studium ad TE amandum optimus quisque facile incitetur. Gratulor itaque TIBI, VIR PRAESTANTISSIME, eximiam istam, qua plures alios vincis, felicemque indolem, quae, si, qua iuisti adhuc via, perrexeris, TV vero perges certissime! in eo tandem honoris fortunaeque TE ponet fastigio, quo pertingere ista TVA diligentia, vitae probitate modestiaque promereris. Ita SVMME VENERANDI PARENTIS TVI, ECCLESIARVM SVERINENSIVM PRAESVLIS GRAVISSIMI, VIRI RELIGIOSISSIMI, quem summa ego observantia colo, conceptam de TE spem egregie explebis. Ita nobilissimae gentis TVAE maiorumque, quos inter summum Academiae huius Theologum, desideratissimum SCHOMERVm, numeras, gloriam proferes famamque augebis, patriae nostrae decus evasurus ornamentumque.


Ita de TE ego, haud vanus augur, spero, modo summum, quod sancta pietate colis, NVMEN, votis annuerit, TEQUE inclytam GEORGIAM AVGVSTAM nunc petentem, sartum aliquando incolumemque redaxerit! Quod ut felicissime eveniat, sincere ego opto. Vale, AMICE PRAESTANTISSIME, et nostrae consuetudinis memor, si quid penes me esse, quod in rem TVAM sit, aut fore, suspiceris, id me posce quasi iure TVO. Vale iterum et me ama. Scrib. in Academia Varniaca, Prid. Calend. Aprilis. A. R. S. CIO IO CCLX.






















exemplum similis blasphemiae, sed obscurius, cognitum, est *Martini Steinbachii*, vinarii Seleuse Spiritum S. incarnatum, blasphemè venditatoro *Zwingero* Volum. 5. Theatri lib. 4. f. 1328.

tem *Hieraci & Melchisedecianis* facias? quorum *Epiphano* hæresi LV. & LXVII. hæc infederat Scripturam digito monstrare *Spiritum sanctum* Melchisedechum enim Spiritum S. fuisse. Cui ulatur etiam *autor questionum V. & N. T.* inter qu. 109. At pridem præscripsit hæc sententia, hæresibusque annumeravit. Confer *Mundi Opificio* cap. 4. ubi contra recen Melchisedecianum disputat. Non aliam ab ea attentionem tulit *Job. Valentinus Gentilis*, in *λόγος* al incarnatum docens, cum & *λόγος* & Spiritus idemque sit, *Deum nempe creavisse in latitudinem quendam excellentissimum; qui postea in plenitudo incarnatus est.* Vide *Sandium* p. 26. Bibliothecarum. Quod perplacet nupero auctori *Unitate Tombeau du Socinianisme* c. 8. p. 25. Quæ etenim *nos & Arianos* pia disputavit & obtinuit *Andicta* putent Patroni hujus delirii.

Instrumentum hoc blasphemiae de Spiritus S. incarnatione à fanaticis revocatum perdomemus dempms est.

ur nempe isthæc sententia (1) scopo ac fini unquamare Deus Humanæ uniri debuerit naturæ carne, qui est perfecta redemptio & liberatio humani à peccato, morte tyrannide Satisfactio perfectumque sacrificium Divinæ um pro omnium hominum peccatis. Nam factus est, quia *nullus debuit satisfacere nisi ho-*

b

mo

the scale towards document

